

tus id. mart. ad urbem rediit : eique est universa civitas  
gratulata. Attulit is ab Admete Bajafetis duce literas ad  
Senatum, cum mandatis, ut si bello, quod inter ipsos &  
Bajafetem vigebat, vellent finem imponere, mitterent By-  
zantium aliquem ad pacis conditiones tractandas : ei se  
adjutorem futurum.

1502

Interea Cæsarem Alexandri filium augendi regni cupi-  
ditas magnum in scelus & proditionem impulit. Nam  
cum Guidi Ubaldi Metaurensum ducis regnum, quod  
unum ei deerat ad omnem Flaminiam obtainendam, pro-  
pter mirificum popolorum in illum amorem aggredi aper-  
to bello non auderet, neque Venetos sibi permisuros ut  
illum expelleret, arbitraretur, neque ullam haberet susci-  
piendi belli caufam, Guido Ubaldo omnibus in patrem  
suum obsequiis, in se officiis benvolentissimi conjunctissi-  
mique hominis plane functo : velle se bellum Camerti-  
bus inferre simulavit, ut ad fines Urbinatum, qua iter  
erat ei faciendum, sine Guidi Ubaldi suspicione, tan-  
quam alio tendens, cum exercitu accederet. atque, ut  
bono se in illum esse animo fidem ei majorem faceret,  
& suis eum opibus exueret, ne tueri se se posset commu-  
nitior, a Guido Ubaldo, ut auxiliares ad id bellum co-  
pias cum tormentis muralibus ad se mitteret, pro amici-  
tiæ jure per legatos postulavit. Iis impetratis, atque mis-  
sis, cum ad fines regni venisset, repente in illos hosti-  
liter irrupit, & magna celeritate adhibita, quod nemini  
obvium habebat, Urbinum contendit, parumque  
abfuit, quin Guidum ipsum Ubaldum caperet. Sed is  
paucarum horarum beneficio, in jumentis agricolarum,  
& veste rustica, itineribus deviis, quod omnia nota loca  
per Cæsaris milites obfessa tenebantur, fugiens, Raven-  
nam se recepit, atque inde Mantuam est profectus: quam  
ad urbem paulo ante uxor ejus Elisabeta, Francisci Man-  
tuanorum ducis soror, pudicissima lectissimaque se contu-  
lerat; cum officii causa Alexandri postulatu Lucretiæ  
Borgiæ ad maritum proficiscenti comes itineris fuisset.  
Ea re permotis Patribus, equites quingenti, pedites mil-

*Guidus U-  
balduſ Cæ-  
ſaris Bor-  
gia fraude  
Urbino pul-  
sus.*